



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,  
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

**Fabri, Honoré**

**Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII**

Epistola Præliminaris P. Honorati Fabri, Lvgdvno Scripta Ad P. N. N. In Qua  
Doctina Opinionis Probabilis Summatim Explicatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

EPISTOLA PRÆLIMINARIS P. HO.  
NORATI FABRI LVGDVNO SCRIPTA  
AD P. N. N. IN QUA DOCTINA OPINIONIS  
PROBABILIS SUMMATIM EXPLICATUR.

R. IN CHRISTO PATER.

**G**ratissimum omnino accidit, R. P. ex tuis literis, mihi occasionem præberi, trium illud argumentum de opinione probabili, quasi summatim retractandi, & totam illam doctrinam in Dialogis à me paulò fusiùs explicatam, breviori quasi tabella contractam, sub unum aspectum adducendi: ut autem tota res magis perspicua evadat, illam, pro more meo, in certos numeros distinctam esse volui.

I. Hujus meæ doctrinæ, vel sententiæ præcipuum & quasi unicum, vel singulare fundamentum est, quod certam conscientiam actio moralis honesta desideret; id est, judicium practicum certum, quo ipse agens certò judicet, nihil inesse mali; certum, inquam, saltem creditum, per invincibilem, ut ajunt, ignorantiam, vel conscientiam erroneam, sed innovam; nec enim objectum voluntatem afficit, vel movet, ut re ipsa extat, sed ut cognitum est: & verò si judicium illud practicum, seu dictamen rationis, quod proxima est actionum moralium regula, esset tantum probabile, cum aliqua dubitatione conjunctum esset; ac proinde operans jure timeret, ne actioni malum inesset; peccaret igitur, juxta doctrinam à Doctore Angelico traditam; quia proximo peccandi periculo exponeret sese; si enim dubitans, ne malum inest, pecco; longè potiori jure, peccare censeor, si malum inesse, probabiliter judico. Illud igitur firmum, fixum ratumque apud me est, conscientiam certam esse debere; & in hoc cum Adversariis convenio; ubi hoc dumtaxat iis dederim, nihil habent ultra, quod opponant; quid enim? cum omne peccandi periculum, omne dubium, omne incertum, omnem aleam, certa conscientia omnino arceat; igitur vel hoc uno statuto, & veluti Clypeo nostris adversariis opposito, omnia illorum argumenta, seu tela statim retunduntur; & nihil præter voces, declamationes, mera verba, ac simplicium terricula iis superest, ut patet. At nisi conscientia certa statuatur, D. Thomam, antiquos, immo & recentiores omnes nobis adversantes habebimus, si unum, vel alterum excipiam; & nullum unquam argumentum Fagnani, Mercori, Gonetii, Comitoli, Philaleti, aliorumque, nisi ad speciem, solvamus; immo si conscientia probabilis tantum satis est; cum hæc ex minima etiam & qualibet probabilitate consequatur, qui revera omnimodæ laxitatis & corruptelæ morum fons est; ex quo abfit, ut parum salubres aquas hauriamus; tuta esset quælibet opinio probabilis, quod tamen vel dictu nefas est.

II. Judicium autem illud practicum directum est, non reflexum; licet enim aliud reflexum esse possit, hoc tamen primum illud, ut prævium, supponit; cum ex illo deducatur, ut patet ex hoc syllogismo; *quisquis agit cum certa conscientia, honestè agit; sed ago cum certa conscientia, igitur honestè ago*; hæc consequutio, ut vides, certam conscientiam præsupponit in minore; illam igitur non constituit; major est universalis propositio per se nota & perspicua; minor experimento statuitur; quisquis enim aliquid certò cognoscit, seu judicat, absque alio actu reflexo, experitur se cognoscere ac judicare certò, nimirum absque formidine; illud unum tamen restat, unde judicium illud practicum certum sit, & certitudinem suam accipiat; quod breviter explano, si prius illius objectum statuerim, quod nihil aliud est nisi usus & praxis talis, vel talis objecti, nobis representati per judicium aliquod prævium speculativum, sive certum; v. g. judico certò talem contractum esse usurarium; en judicium speculativum certum, ex quo facit certum judicium practicum sequitur, quo scilicet certò judico, usum illius objecti malum esse; sive probabile, v. g. judico probabiliter, pactum trium contractuum non esse usurarium; en speculativum probabile; sed cum deinde certò judicem, in usu & praxi dicti objecti, dicti judicii speculativi, vel illius opinionis probabilis, nihil inesse mali, & cum hoc judicium practicum per se notum non sit, nec ex judicio speculativo probabiliter deducatur; aliud quidpiam investigandum est, illudque certum, unde scilicet deducatur.

IV. In hoc cardine, meo judicio, hæc controversia vertitur; quod autem aliqui dicunt, opinionis probabilis electionem prudentem esse; an hoc certum sit, dubito, nisi aliud addatur; prudenter certò quispiam opinioni probabiliter assentitur, sed tam prudens est ille assensus, quam probabilis ipsa opinio; & tam probabilis opinio, quam grave & rationabile est illius

## Authoris Epistola Præliminaris,

illius motivum; non potest enim melius opinio probabilis definiri, quam si dicamus, illam esse, quæ gravi & rationabili motivo nititur, citra certitudinem, ac proinde quod satis sit, ad prudentem assensum; illud autem motivum grave & rationabile non est, quod à quopiam alio, non dico, superatur, sed prorsus tollitur, puta argumento indissolubili, quod vel à decreto expresso auctoritatem habentis, vel à communi omnium refragantium auctoritate, vel ab evidente absurdo deducitur. Itaque cum tam sit prudens usus & praxis opinionis probabilis, quam prudens est illius electio; & tam prudens electio, quam prudens assensus, vel ipsa opinio; & tam hæc prudens, quam hæc probabilis; inde manifestè concludo, ex incerta & dubia probabilitate, incertam & dubiam sequi prudentiam assensus, electionis, & usus ejusdem opinionis, uti ex certa probabilitate, certa prudentia, assensus, electionis, & usus; igitur ex certo judicio, quo judico, aliquam opinionem esse probabilem, sequitur certum judicium practicum, quo judico, usum illius esse prudentem; ex hac enim *prudenter eligo*, sequitur hæc, *prudenter assentior*; si enim judico prudenter, me prudenter eligere, quod certe judicium prudenti electioni præluceat, oportet, cum electio sit actus voluntatis, judico etiam prudenter, opinionem illam, quam eligo, esse prudentem, seu prudentem assensum; igitur ex prudenti electione sequitur prudens assensus; nempe prudens electio est prudentis objecti, sicut mala electio est mali; bona, boni; objectum autem illius electionis est ipsa opinio, scilicet objectiva; si autem objectiva est prudens, formalis haud dubie prudens est, nimirum ipse assensus; igitur ex hac *prudenter eligo*, sequitur hæc, *prudenter assentior*.

V. Pari modo ex hac *prudenter assentior*, sequitur hæc *prudenter eligo*; nempe cum idem sit objectum utriusque, id est, tum assensus, tum electionis, id est, opinio probabilis objectiva, haud dubie prudentia illa objectiva æquè refundit formalem in electionem, ac in assensum, & vicissim; est enim eadem, cui assentior, & eadem, quam eligo; mutua igitur est illatio, & tam ex prudenti assensu, sequitur prudens electio, quam ex prudenti electione, prudens assensus. Itaque illam dumtaxat opinionem probabilem ad praxim admitto, quam certò constat, esse probabilem; quia ex certa probabilitate sequitur judicium practicum certum; ex incerta, incertum; cum in eam dicti judicii ultimi fiat resolutio; illam porro certò probabilem reputo, de qua inter omnes fere auctores classici convenit, quod scilicet sit probabilis; licet enim multi oppositam sequantur, illam tamen non negant, esse probabilem; nempe disputant & contendunt inter se de veritate opinionis, non tamen de illius probabilitate; sunt, qui unam, sunt, qui alteram, veram esse, dicunt, omnes tamen dant ultro, utramque probabilem esse; sic Thomistæ cum Scotistis, & tam hi, quam illi cum Nominalibus; Suarez cum Vasquez, alique cum aliis disputant, de opinionum veritate, non tamen de probabilitate. Hinc dubia & incerta probabilitas ad prudentem usum & honestam praxim reduci non potest, certò, inquam, prudentem, certò honestam; hinc ei dumtaxat locum in pura speculatione concedimus, à praxi autem & usu excludimus; hinc, satis appositè dubiam & incertam probabilitatem, speculativam appellamus; certam verò practicam. En tibi doctrinæ nostræ de hoc argumento fundamentum.

VI. Quisquis autem rerum istarum peritus est, statim observat, inconsultis etiam auctoribus, an quævis opinio sit certò probabilis; si enim nullum inde absurdum sequitur, nullum adversatur Ecclesiæ decretum, nullum indissolubile argumentum, pro adversa parte; pro qua tamen motiva gravia esse, videt, falli moraliter non potest, si asserat, certò probabilem esse, cum enim pro utraque parte adsint motiva gravia, fieri moraliter non potest, ut omnes auctores alteri dumtaxat partium adhaereant; quamvis autem unus, vel alter fortè probabilem esse neget, reliquis scilicet omnibus refragantibus, inde manifestè colligitur, grave motivum non esse, quo scilicet is ductus probabilem esse, neget; si enim grave esset, moraliter fieri non posset, quin aliqui saltem co ducti, probabilem esse, negarent. Certam igitur moraliter probabilitatem constituo, ex qua certam moraliter conscientiam, vel judicium practicum moraliter certum deduco, illudque directum, ut dixi; quo statuto, reflexum deinde, ut dixi, metaphysicè certum, quod necessarium esse non duco, deducitur; hoc tamen conscientiam certam, seu judicium practicum certum, ut supra dixi, supponit.

VII. His statutis; reliqua omnia nullo negotio expediuntur; nempe sive opinio illa certò probabilis, sit magis, vel minus probabilis, quam opposita, vel æquè probabilis; perinde est;

## ad P. NN. de Opinione Probabili.

est: cum scilicet certum iudicium practicum, seu certa conscientia, ex qualibet certa probabilitate, siue maiore, siue minore, siue aequali necessario consequatur; quia si est certa probabilitas, est certa prudentia, ut patet ex dictis; & cum utraque semper aequis passibus incedat; si est maior probabilitas in partium altera, erit maior prudentia; & hæc minor, vel aequalis, si minor, vel aequalis illa; cum autem homo non teneatur ad perfectius, ad melius, ad prudentius, qua enim lege, semoto scilicet voto? nempe consilia à præceptis Doctores Catholici probe distinguunt, inde fit, non teneri ad probabilius; sed tantum ad certò probabile. Erverò, modò tuta sit conscientia, nihil aliud desideratur; sed tuta est, si certa est; tutum autem formaliter in indivisibili positum est, ut patet, nisi est ad perfectius, & ad exclusionem periculi remoti, citra votum, nemo tenetur. Hinc omnia prorsus Adversariorum tela hoc clypeo retunduntur; cum scilicet petantur à periculo peccandi, à conscientia dubia, quam aliqui ab opinione probabili distinguere noluissent, vel nescierunt, & ex multis locis, quibus iubemur, vel movemur, dimittere incertum, tenere certum, tutius amplecti, non comparative, sed adversative, quando scilicet pars opposita tuta non est; in dubiis, tutius sequendum, aliaque huiusmodi, quæ contra doctrinam supra statutam nihil prorsus faciunt; cum non simus in dubio; nec in proximo peccandi periculo; nec in incerto, quotiescumque certa & tuta est conscientia, qualem statuimus, in certa scilicet probabilitate fundatam.

VIII. Nec est, quod aliqui dicant, intellectum à probabiliore determinari, quod falsissimum esse, constat; hic enim ab objecto dumtaxat evidente rapitur; ab obscure proposito non rapitur, sed eidem liberum assensum præbet; ut patet in actu fidei, qui alioquin meritorius non esset; si autem liberè assentitur; igitur ex imperio & determinatione voluntatis; nec enim per se intellectus liber est; voluntas igitur, pro diverso motivo, quo duci potest, intellectum determinat liberè ad assentiendum alterutri parti probabilium oppositarum; idque, pro arbitrio, siue magis, siue minus, siue demum æquè probabilis; immo si non modicam labem inferunt hominis libertati, qui volunt, Intellectum ab objecto tantum obscure proposito necessariò determinari; voluntas tamen non potest determinare intellectum ad assensum, nisi adsit motivum aliquod assensus; intellectus quippe sine motivo, id est, sine objecto formali assensus, assentiri nequit; quod si leve esse constat, est assensus, vel opinio improbabilis; si grave, probabilis; si certò levè, certò improbabilis; si certò grave, certò probabilis; si neutrum, sed probabiliter tantum, seu grave, seu leve, probabiliter tantum probabilis. Ex his oppositiones propositionum, vel opinionum facile habentur; sint enim A, B, oppositæ; si A est certò probabilis, erit B certò probabilis; si A certa, B incerta; si A probabiliter tantum probabilis ac perinde probabiliter etiam improbabilis, erit B probabiliter certa; unde probabilis opponitur improbabili, in genere, & adversative, non in specie; v. gr. *Hoc pactum est usurarium, non est usurarium*, opponuntur, si utraque est certò probabilis, comparative; si altera certa & alia improbabilis; item si altera probabiliter improbabilis, & alia probabiliter certa, adversative; comparative autem, ut dixi, duæ contradictoriæ certò probabilis, ita ut, vel sint æquè probabiles, vel altera probabilior.

IX. Unde fieri non potest, ut A sit certò probabilis, quin etiam B certò probabilis sit; & quin utraque sit tuta, cum utraque conscientiam certam & tutam relinquat; Hinc licet alterutram sequi, siue æquè, siue minus probabilis sit, ex communi illo principio; siue certò constet, oppositam esse probabiliorem, siue id probabiliter dumtaxat noscatur; nec enim sequitur iudicium practicum certum ex certo iudicio majoris probabilitatis, aut minoris, sed ex iudicio probabilitatis; siue enim certò, siue probabiliter iudicem, alteram esse probabiliorem, aut minus probabilem, hoc non facit, quin certò iudicem, esse probabilem; ac proinde illius usum certum, prudentem, ac tutum esse. Nec obstat, me uti non posse opinione probabili, nisi eidem assentiar; quod tamen aliqui negabunt, satis enim esse putabunt, assentiri primum illius probabilitati, ac deinde honesto illius usui per iudicium practicum; & nihil vetat hoc iudicium elici, *certus sum, usum illius opinionis prudentem esse, cui prudenter assentiri possum*; & verò, ut certò iudicare possum, usum opinionis A minus probabilem, quam B, prudentem quidem esse, etiam minus prudentem, quam usum opinionis B, quem prudentiorem esse iudico; ita prudenter utor opinione A, quamvis prudentius esset, ut opinione B; non tenemur enim ad prudentius seu perfectius: exemplum Confessarii huc quadrat, qui opinioni certò probabili Pœnitentis adherere potest, quo ad usum, licet oppositam teneat. Sed dato etiam, & non concessio, quod nequeam uti aliqua opinione, objectiva scilicet, nisi eidem præbeam assensum, non video, cur assentiri non possim opinioni minus probabili, licet mihi certò constet, esse minus probabilem.

X. Auctor quidam doctrina & fama valde conspicuus docet, deesse nobis libertatem

## Authoris Epistola Præliminaris,

& potestatem physicam assentiendi opinioni minùs probabili, quàm minùs probabilem esse, certò scimus, seu potius, inquit, verisimilem; quam probabilitatis ratio à ratione verisimilitudinis petenda non fit; cum aliquid verisimile esse queat, etiam si non sit probabile; ut videre est in omnibus fere paralogismis; probat autem doctus auctor, decile nobis illam potestatem; quia, inquit, impossibile est, ut id videatur falsum cuiuspiam, quod eidem videtur similis verò, seu probabilis. Hic ni fallor petitur principium; illud enim *videtur*, idem est, ac *judicatur*; possum enim dissentire cuiuspiam opinioni, & simul assentiri ejusdem probabilitati; siue major hæc sit, siue minor, siue æqualis; non possum quidem simul assentiri probabilitati, & dissentire opinioni probabili; unus quippe actus non excludit alium. Sed, inquit, non potest quispiam judicare similis albo, id, quod judicat esse nigrum, quã id, quod judicat, esse album; ita est; quia ita judico, esse album, ut judicem nigrum esse non posse; & vicissim; ac proinde simile albo, ne dum similis, judicare illud non possum: at verò, quando judico, aliquam opinionem probabilem esse veram, non est absolutus assensus, cum formidine conjunctus, ita ut per eundem actum, cognoscam evidenter falsam esse posse, & oppositam, veram. Stant igitur illa duo motiva, alterum scilicet, quo judico, esse falsam, sed cum formidine, ac dubitanter, non firmiter & absolute; alterum verò, quo certò judico non modò esse probabilem, verum etiam probabiliozem, quo ad hoc ultimum, intellectus non determinatur à voluntate, ut patet; est enim evidens tum probabilitas, tum major probabilitas; secus verò ad primum; cum enim opposita supponatur verè ac certò probabilis, ac proinde gaudere gravi & rationabili motivo, ut ei præbeam assensum, & dissentium oppositæ; non determinat quidem intellectum illud objectum, quamvis alioquin sufficiens sit, ad assensum, voluntas tamen ad dictum assensum determinare potest intellectum, juxta communem regulam; quod voluntas determinare possit intellectum ad dissentium, vel ad assensum, proposito scilicet objecto & motivo sufficienti, seu verò, seu credito, non tamen ad assensum simul & dissentium ejusdem objecti.

XI. Hæc regula à suare traditur 1. 2. tract. 2. disp. 10. sect. 1. n. 5. *quando intellectus, inquit, non habet evidentiam de aliquo objecto, potest moveri à voluntate ad assentiendum & dissentiendum, & est S. Thom.* quamvis sub finem ejusdem numeri hæc addat, *mibi probabile est, non posse moveri, intellectum scilicet à voluntate, nisi in illud, quod verò similis & probabilis apparet*: Ultimum hunc Suarez textum aliqui tanti faciendum esse, non putant; tum quia nullam proliis illius dicti, contra morem, rationem afferunt; fortè quia, dubitando potius, quàm adstruendo, hoc dixit, *probabile est*, inquit; tum quia hunc totum Suarez non congessit, seu digessit, sed alius quidam, compilatis variis ejusdem scriptis, per Hispaniam, non uno loco, & Romæ, auditoribus traditis, ut in præfatione ipsius compileris diserte testatur; ex hoc tamen loco, dicti Auctoris sententia non potius confirmatur, quàm Probabilioristarum (sic enim vocantur) qui nihil aliud volunt, quàm voluntatem non posse determinare intellectum ad assentiendum opinioni quæ minùs probabilis appareat; illud enim *apparet* evidentiam propriè non sonat; standum igitur in ipsa assertionem, quæ in primo textu continetur, & est expressa S. Th. 1. 2. q. 17. a. 6. in corp. & rem adeo claram & perspicuam esse putavit Cajet. ut nullo commentario crediderit, opus esse. Itaque cum nulla ratio faciat pro sententia hujus auctoris, & gratis omnino dicat, intellectum non posse assentiri opinioni minùs probabili cognita, quod tum experientia manifesta, tum rationi supra explanata, tum maxime libertati & voluntatis perfectioni adversetur, & graves inde consequutiones maximi momenti deduci facile possint, dictam sententiam nullo modo à me probatam esse, velim, uti nec aliam Tamburini, qui probabilem etiam, atque adeo creperam & incertam probabilitatem, ad actionem moralem honestam satis esse, putat; ab extremis igitur oris mihi fugiendum esse, ratus, nec ad probabiliozem, etiam cognitam, quemquam adigo; hortor tamen; quia nullo jure, ad melius, prudentius, probabilius teneor; nec probabiliter tantum probabilem indulgeo; quia certam conscientiam non constituit, quam tamen recta operatio postulat; & licet utraque sententia in secunda parte Apologetici contineatur, neutram tamen à me probatam velim; unde recito quidem, sed non probo; medià viâ initâ, certam probabilitatem, unde certa conscientia sequitur admitto; siue illa major, siue minor, siue æqualis sit.

XII. Sed jam venio ad aliqua, vel opposita, vel facile opponenda; si quis rudis & imperitus, inquit, te consulat (singamus enim saltem me rerum istarum peritum esse) & quærat, an pacto trium contractuum tuta & certa conscientia uti possit; & respondeas, tutò uti posse; hoc tantum probabile, ad summum, illi erit; igitur probabilis tantum conscientia; Respondeo à rudi & imperito hæc minime intelligi; unde vel utetur illo pacto cum aliquo dubio, ne malum insit, & tunc peccabit; vel absque ullo dubio;

dubio, ut reverà facere potest; quia responsio viri docti apud imperitum cujusdam demonstrationis loco est; sed, inquis, si ille sit non quidem peritissimus, at saltem alicujus conclatur, & quærat, an hæc, aut illa opinio probabilis sit; & respondeas, probabilis esse, & quærat ultra, an certum sit, probabilem esse, & reponas, hoc certum esse; hoc certe illi tantum probabilis; cum auctoritas Respondentis alius non assurgat; ille tamen laudatam opinionem ad usum & praxim tutò reducere poterit.

Resp. si dubitet de probabilitate, ac proinde honesto usu opinionis, illa certè uti non potest; at si non dubitet de probabilitate, ut reverà prudenter dubitare non debet, nempe quemadmodum certus sum, esse Constantinopolim; quia tum multi à se visam esse alterunt, & nemo esse negat; ita certus sum, moraliter scilicet, illam opinionem esse probabilem, quia nemo negat, probabilem esse, licet aliqui eam non sequantur; ubi ergo respondero consulenti, certò probabilem esse; quia omnes auctores classici, alicuius saltem nominis, eam probabilem esse, fatentur; adeo profecto sufficiens motivum, ut certò moraliter credat, probabilem esse; si tamen de hoc dubitaret, illa certè uti non posset.

XIII. Opponent aliqui absurdum dictum videri, duas opiniones contradictorias simul esse probabiles; quia inde sequeretur, aliquem non obligari ad restituendum, licet casuista quispian ab eo consultus, eum teneri responderi; cum scilicet casuista responsio, ad minimum, sit probabilis, unde illius contradictoriam probabilem quoque esse, necesse est; ac proinde consulens eam tutò sequi possit. hæc difficultas nullius momenti est; quia cum lex dubia non liget, uti nec notum dubium, nullus casuista illum ad restitutionem obligat, qui certò non obligetur; si autem, certa sit obligatio, jam non versamur in opinione probabilis, unde si consulens non credat consulenti, dubitabit tamen, an certa sit obligatio; ac proinde inquirere ultra tenetur, unde si alter consulens doctus etiam & pius idem responderit, consulens non nisi temerè refragatur; immo inde concludere debet, se saltem probabiliter obligari, ac teneri, at si probabiliter tenetur, certò tenetur, ut in primis Dialogis, Archimedeo more, demonstravi; nempe si probabiliter teneor, non restituendum, non sum certus, an debito meo faciam satis, certa igitur conscientia non est; igitur peccatum non restituendo; igitur si obligatio probabilis est, certa est. His ergo regulis standum esse, puto, 1. utraque contradictorium certò probabilem tuta est in praxi. 2. nulla obligatio imponenda nisi certa sit, nimirum aliquid restituendi, præstandi, faciendi. 3. si lex certa sit & titulus obligationis certus, & dubitatur, an illa impleta, & hæc expuncta fuerit, restat obligatio; quia ut solutionem certam titulus incertus non postulat, ita nec debitum certum per incertam solutionem extinguitur.

XIV. Triam mihi opposuit vir mei, mihiq; amantissimus, qui mei Pithanophili se tutum esse dicit; quæ hic locum sibi postulare videntur. Primum est, opinionem certò probabilem eam esse, quam plerique sapientes verè probabilem esse non negant, quæ scilicet, citra erritudinem, rationabili motivo nititur, nec contra se habet aliquam Ecclesiæ declarationem, aut rationem convincentem: sed Tamburinus l. r. in Dec. cap. 3. §. 3. n. 8. docet, opinionis probabiliter tantum probabilis usum licitum ac tutum esse, & in hanc rem, citat Meroll. Sal. Vasq. Sanch. Pasqualig. ergo hæc opinio est certò probabilis; certum igitur, prudentem assensum illi præberi; item prudentem electionem, & prudentem usum illius esse; quo fit, ut nec ratio convincens afferri possit, quod hæc opinio certò probabilis non sit, ac proinde illicitum non sit, sequi, etiam in praxi, opinionem probabiliter tantum probabilem: nisi forte illi, cui ratio illa convincens esse videtur. Resp. 1. Ex his auctoribus citatis vindicatum à me fuisse Patrem Sanchez, Dialog. 2. nimir. lib. 1. in decalog. c. 9. n. 18. item Salas 1. 2. tract. 8. sect. 4. nu. 41. quod pertinet ad Meroll. potius nobis faveret, quamquam oppositionem contradictoriarum partium, vel opinionum male omnino explicat, Vasq. etiam satis vindicavi; quamquam quætionem illam in discretis terminis non habet: de Tamburino & Pasqualig. factor ultro, sed quid inde? 2. Ratio à Tamburino allata nullius momenti est, seu potius nulla est; ita enim probatur: per hanc firmatur certa moraliter illa veritas, nimirum hoc iudicium practicum, quod me dirigit, prudenter operor, dum probabiliter puto, hoc esse probabile & hoc iudicium prudente in praxi sequor: nunquid hoc non est petere principium? hoc ipsum est, quod negatur: nimirum sufficere, ad iudicium practicum certum, probabilem tantum probabilitatem; nec enim quod opposita, inquit, sit evidenter probabilis, deicit hanc à sua probabilitate; quasi verò, utraque evidenter probabilis esse non possit? quasi verò, stante una probabiliter tantum probabili, ac proinde probabiliter etiam improbabili, opposita sit tantum evidenter probabilis; cum reverà sit probabiliter certa; unde non est, quod auctoritas Tamburini omni ratione destituta nos multum moveat, præsertim cum tribus tantum verbis, aut lineis, tanti momenti quæstio-

## Authoris Epistola Præliminaris,

questionem definierit. 3. Quamvis tres, vel potius duo illi auctores, illam opinionem, nimirum, quod sit licitus usus opinionis probabiliter tantum probabilis, adstruant, ut probabilem, omnes tamen alii, ut improbabilem reiciunt; igitur certò probabilis iure dici non potest, ut constat ex iactis principiis. 4. dum solvatur mea ratio, eam pro convincente habiturus sum; nempe si est incertum, esse probabilem; incertum est, assensum esse prudentem; item incertum, electionem prudentem, & usum honestum esse. 5. distinguenda est certitudo physica à morali; aliqui enim ut Vass. Sancti Salas, & alii, qui negare videntur conscientiam & probabilitatem certam esse, de certitudine physica, non verò de morali intelligendi sunt. 6. denique habebit doctissimus opponens in 2. Dialog. multa, quibus hæc mea doctrina plurimum confirmatur.

XV. Secundo opponit contra illud, quod adstruo pag. 13. Apologetici, vel §8. primi opusculi, nimirum ideo me sequi non posse, quod probabile est, hæreticum esse; quia imprudens omnino errandi periculo me ultro exponerem; quod sanè non licet; non posse item in usu & praxi sequi opinionem, quam improbabilem esse probabile est, nisi licet peccandi me periculo exponam; igitur opponit vir doctissimus, non possum sequi, quod certò probabile est, esse illicitum, propter eandem rationem: igitur nec illud, quod certò probabile est, esse licitum; cum idem sit utrumque, & hæc, per mea principia, sed hic malè applicata; primò enim, id discriminis intercedit, inter opinionem probabilem & hæreticam, quod usus, seu praxis istius ab ipso assensu non differat; ac proinde si probabile est, esse hæreticam, probabile est, assensum esse hæreticum; at verò praxis illius ab ipso assensu omnino distinguitur: unde licet eo ipso hæreticam sequamur, quo illi assensum præbemus; non tamen eo ipso sequimur opinionem probabilem in usu & praxi, quo illi assentimur; nam licet assentiri opinioni probabiliter probabili, non tamen licet eam sequi in usu & praxi; unde perspicuum fit, quam malè rem istam Merolla distinxerit t. 1. d. 3. c. 4. dub. 1. corol. 3. ubi dicit, *si opposita solum est probabiliter probabilis, satis esse, alteram esse probabiliter probabilem*, quod repugnat in terminis; tamen altera tantum est probabiliter probabilis, opposita non modo est evidenter probabilis, verum etiam probabiliter certa. 2. non repugnat, ut simul probabile sit, idem esse licitum & illicitum in usu & praxi; id est, ut iudicium practicum de usu opinionis probabilis sit tantum probabile; tum enim, ut iudico probabiliter, honestum esse; ita possum iudicare, probabiliter, esse turpem & inhonestum; non tamen simul; licet simul iudicem utrumque iudicium esse probabile; & hoc accidit, in usu opinionis probabiliter probabilis; quia cum certum sit, esse probabiliter probabilem; ita certum est, usum esse probabiliter prudentem; id est, certum, quod probabile sit, usum esse honestum; item probabile, turpem esse. 3. at in opinione certò probabili secus accidit; cuius usum certò iudico, honestum & licitum esse. Dices ergo, cum opposita sit etiam certò probabilis, ex hac sequitur, eundem usum illicitum esse; nempe hoc minime sequitur, implicat enim, idem certò iudicari licitum & illicitum; sed tantum sequitur, usum utriusque licitum esse; v. g. certò probabile est, pactum trium contractum non esse usurarium; item non esse usurarium; sequitur ex prima, ergo certum est, usum illius, id est, inire pactum illud, esse licitum; ex secunda verò sequitur, ergo certum est usum illius, id est, abstinere à contractu, licitum esse; ut enim probabilitas unius non destruit probabilitatem alterius, ita nec honestus usus unius, destruit honestum usum alterius; sed de his satis fusi in duobus primis dialogis.

XVI. Observandum tamen est, prædicata huiusmodi *licitum & illicitum* pertinere propriè loquendo ad iudicium practicum, non ad speculativum, cui tamen à quibusdam, impropriè scilicet, accommodantur, nempe in usum & praxim propriè cadunt; ac proinde si opinio certò probabilis est, non potest dici, propriè loquendo, quod probabile sit, esse licitam, nimirum ad usum reduci posse; quia hoc certum est, nec etiam dici potest, propriè loquendo, quod probabile sit, oppositam esse illicitam; cum certum sit, licitum esse; id est, ut dixi, ad usum reduci posse. v. g. sit opinio certò probabilis, *pactum trium contractuum non est usurarium*, & opposita etiam certò probabilis, *pactum illud est usurarium*, sequitur ex probabilitate certa utriusque certum iudicium de honesto, seu licito usu utriusque; id est, quod uti dicto pacto licitum sit, & quod abstinere ab illo, licitum sit; non verò quod illicitum sit, si ve illo uti, si ve abstinere. Nec dicas, esse usurarium probabiliter; igitur illicitum probabiliter, negatur enim consequentia in proprio sensu; nam perinde est, atque si dicerem, ergo usus opinionis opposita est probabiliter illicitus; quod falsum est, cum certum sit, licitum esse; propriè igitur ex illo antecedente sequitur, ergo ab eo abstinere bonum est, licitum est; igitur, quemadmodum ex prima opinione, qua pactum illud

## ad P.N.N. de Opinione Probabili.

illud negatur, esse usurarium, non sequitur, illicitum esse usum oppositæ; ita nec ex hac opposita, qua usurarium esse dicitur, sequitur, primæ usum esse illicitum; & hæc in sensu proprio, ut dixi, in quo prædicatum *liciti & illiciti* cadit tantum in iudicium practicum: at verò in sensu improprio, traducitur ad iudicium speculativum, atque ita ex hac, *pactum illud est probabiliter usurarium*, sequitur hæc, *ergo est probabiliter illicitum*, & ex hac, *probabiliter non est usurarium*, sequitur hæc, *probabiliter non est illicitum*; unde speculative, id est, quatenus improprie prædicata *liciti & illiciti* ad iudicium speculativum transferuntur, probabile est, illud pactum esse licitum & illicitum; unde meo iudicio complanata manet proposita difficultas.

XVII. Tertiò denique opponit vir Doctus, quod cum per me, opinio tuta non sit proprie, quæ tum formale, tum materiale peccatum non excludit; unde erronea tuta proprie non dicitur; quia solum peccatum formale excludit, non materiale, idem de qualibet opinione dici debet; quia demus, aliquam, v. g. de pacto trium contractuum, improbabilem fieri, puta per declarationem Ecclesiæ; inde sequitur, nunc etiam non esse proprie tutam; quia peccatum materiale non excludit.

Respondeo, magnam esse inter opinionem probabilem & errorem, differentiam, hic enim nullo motivo rationabili vero nititur, sed falso, & ad speciem tantum rationabili, secus tamen opinio certò probabilis; unde is, qui assentitur opinioni verè probabili, nò dicitur errare, ut ille, qui errori assentitur; & verò error est opinio certò falsa & improbabilis; at opinio verè probabilis, falsa quidè probabiliter dici potest, nò tamen improbabilis; unde usus opinio- nis verè probabilis, est tutus formaliter quidè, ut patet, uti etià usus erroris invincibilis; est etià probabilis, tum esse materialiter; cum tamen usus erroris tutus materialiter nullo modo dici possit; unde illa opinio verè ac simpliciter tuta dicitur, quæ peccatum excludit tum formaliter certò, tum materialiter, probabiliter; qualis est certò probabilis; illa tamen simpliciter tuta dici nequit, nisi formaliter certò, & nullo modo materialiter; Hinc erranti, exprobrari potest, quod erret, & is falsitatis convinci, secus vero probabiliter opinanti, quia id quod agnoscit, negari quidem potest quod certò verum sit, non tamen quod probabiliter verum sit: & hæc meo saltem iudicio, iis, quæ a viro doctissimo ex meis principiis opponebantur, faciunt satis.

XVIII. Putat etiam vir alius perdoctus Mercorum, Comitolum, Gonetum, Fagnanum, utroque Probabilitatis voluisse, ut teneremur non tantum ad certò probabilius, sed etiam ad probabiliter probabilius; sed hoc dare non possum; quia probabiliter probabilius, est etiam probabiliter, æquè vel minùs probabile, ut patet; sed nemo dixit hæc, nos, præter ratione probabilitatis, teneri ad æquè, vel minùs probabile; dixi ratione probabilitatis; quia nonnulli docent, teneri nos ad tutiorem etiam minùs probabilem; accedit, quod illorum aliqui, ut Fagnanus, Mercorus, Augustinus de Angelis & alii, volunt, probabiliorem esse moraliter certam, quod reverà de probabiliter minùs, vel æquè probabili dici nequit: item latellendum nò, posse assentiri minùs, vel æquè probabili; cum tamen probabiliori assentiamur, idque necessariò juxta illos, saltem majori ex parte: volunt igitur memorati auctores, nos teneri ad probabilius, non qualecumque illud, sed omnino certò probabilius. Sed, inquit, ut evidenter illicitum, quod hic & nunc putat visum iri illicitum, si daretur rei evidentiæ, sed ita putandum est de omni objecto, quod certò probabilius est, non licere, ergo et evidenter illicitum; hic syllogismus laborat multa æquivocatione, nam 1. satis est, ad illicitum, ut probabiliter iudicem, nimirum per iudicium practicum, illicitum esse, ut dixi. 2. illa major ita intelligitur proprie, ut illud *visum iri illicitum*, ad iudicium practicum pertineat, & in has resolvitur, *illud est illicitum, quod evidenter iudicatur illicitum*, & *illud quod iudicatur evidenter illicitum, iudicatur evidenter illicitum*; at verò, si improprie illud prædicatum *illiciti* usurpetur in iudicio speculativo, & jam supra monui, data maiore, & non concessa, negatur minor dicti syllogismi: & ut res pateat in exemplo, eundem syllogismum certæ materiæ sic applico, unicuique illud pactum est evidenter usurarium, quod putat, visum iri usurarium, si daretur rei evidentiæ, sed ita putandum est de pacto, quod certò probabilius est, usurarium esse, id est, si daretur rei evidentiæ, illud, quod certò probabilius est, esse usurarium, censeretur usurarium, data & non concessa maiore, negatur minor; quia reverà non constat mihi, illud quod probabilius est, data rei evidentiæ, visum iri evidenter verum, potius quàm falsum; & tam probabilius, falsum esse potest, quàm minùs probabile; dixi data & non concessa maiore; nam illud *putat*, vel certò, vel probabiliter, intelligitur; idem dico de illo *visum iri*, si enim certò utrumque, vera est maior, si probabiliter utrumque, vel alterum, falsa est.

Illud

Authoris Epistola Præliminaris,

Illud igitur argumentum parum nos urget; & si certò, minus licèt, probabile fit, pactum illud non esse usurarium, ac proinde certò probabile, usurarium esse, etiam si certò constet, de minore & majore probabilitate; certò infero, usum utriusque opinionis licitum esse; non tamen ex una, rectè inferitur alterius usum esse illicitum; ut jam suprà, de quo etiam satis fùse in 2. Dialog.

XIX. Nec est, quod aliquis putet, cum certo probabiliore, stare non posse certam probabilitatem alterius partis, quæ quidem sit certò minùs probabilis, non tamen certà probabilitate, sed incertà, & tantum probabili, hoc enim falsissimum est; tam enim certi sunt duo gradus probabilitatis opinionis, certò quidem, at minùs probabilis, quàm certi sunt quatuor gradus probabilitatis, opinionis probabilioris; nam opinionì probabiliter probabili opponitur probabiliter certa, ac proinde plusquam certò probabilis; neque hæ duæ opponuntur comparative, id est, ratione gradus, sed adversative, ut constat; nimirum, ut probabile & improbabile: itaque ex hac sententia, quæ ad certò probabiliorem obligat, omnino sequitur, aut certam probabilitatem partis minùs probabilis, etiam cognita, non satis esse, quod omninò destruit doctrinam in Dialogis demonstratam; quod nullus citra probationem admiserit; aut partis minùs probabilis certam non restare probabilitatem, sed ad summum, probabilem; quod tamen falsissimum esse, constat, cum certi gradus majoris probabilitatis, certos gradus minoris minimè destruant. Itaque modò utrinque sit certa probabilitas, five major, five minor, five certi utriusque gradus, five incerti, ad certam conscientiam satis est, quæ non sequitur ex gradu, sed ex ipsa re; nec ideo certò judico, prudentem esse usum opinionis probabilis, quia certò judico, esse probabilem, ut sex, vel duo, sed quia certò judico, esse probabilem; & iterum dico, nihil aliud voluisse Probabilioristas, nisi teneri nos, ad probabiliorem, ut talem cognitam; unde non crediderim, sententiam illius auctoris novam esse, sed eandem proflus cum sententia Probabilioristarum; quamquam diversis utramque principiis nixam, ut patet ex dictis.

XX. Hic demum omittere non possum dictum P. N. Mutii Vitelleschi, in Ep. ad Superiores scripta 4. Januarii 1617. à quodam Apostata nostro nobis exprobratum, à P. Martinez de Prado, ac demum à P. Goneto recitatum, non tamen sine suo Epiphonemate, nimirum, *nonnullorum ex Societate sententia, in rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio libera, & non modo periculum est, ne ipsam evertant, sed etiam Ecclesie Dei universæ infamia afferant de re mentis, addit autem, qui docent & scribunt, minimè hac regulâ & normâ in delectu sententiarum utantur, tueri quis potest, probabilis est, auctore non caret, ac demum concludit, verum adeas sententias accedant, quæ tutiores, quæ gravioris, majorisque nominis auctorum &c.* Sed quid quæso hæc, & quid inde: quasi verò tantus esse queat docentium & scribentium numerus, quantum esse, constat in Societate, quin unus, vel alter detanto numero, aliquid paulò laxius, vel prælegat in scholis, vel proponat in The-sibus, vel etiam edat in libris, per negligentiam eorum, quibus hujusmodi regnoscere in-cumbit, sed an propterea toti Societati laxius illud imputandum, cum alii, & quæ præcipui ejusdem Societatis auctores contrarium tradiderint: Optimè igitur Prudentissimus Generalis Superiores monet, ut hæc impediant, nec doceri, edique sinant illas sententias, non So-cietati modò, sed universæ perniciosas Ecclesiæ; & quod *nonnulli*, quique pauci, & nulli ferè, si cum magno aliorum numero conferantur, fortè peccarant, aliis minimè indulgeant: pruden-ter etiam vetat, nostros hac regula uti, *hanc sententiam tueri possum, nec auctore caret, & proba-bilis est*: quasi verò absurda & absona interdum aliqui non rueantur: & quælibet fecditas, ut agebat ille, non habeat suos patronos, quasi verò quælibet probabilitas ad tutam & certam conscientiam sit satis: jubet denique, ut nostri in sententiarum delectu, ad eas accedant, quæ tutiores sunt; adversatè scilicet; nec enim ad tutius formaliter, quod non datur, ne-que ad tutius materialiter, obligat; quisquis porro Suar. Valsq. Molin. Less. Valent. Lug. To-let. Sanch. Gibalin. Castr. Pal. aliosque bene multos ex nostris sequitur, dubitare non potest, quin graviore magnique nominis auctores sequi dicendus sit.

XXI. Aliquoque Præpositi Generales Societatis, idem suis impensè commenda-  
runt, ut Pico-lineus, Gofvinius, immo asserere non dubito, eandem mentem esse  
optimi P. N. Joan. Olivæ, qui modò præest, ejus rei plenissimam faciant fidem il-  
lius literæ, ad me Roma, hoc anno, Lugdunum scriptæ, quas hic subnectendas esse puta-  
vi; ut omnes intelligant animum & mentem universæ Societatis de hoc argumento : unde  
non erat, quod P. Gonetius hoc Epiphonema præmissio Mutii dicto subiiceret, *utinam* (inquit  
*in opusculo de probabili.*) *hujus sapientissimi Generalis consilia & decreta ad amussim servarentur: brevis*  
*reformeretur mundus, qui ex licentia opinandi in preceptis ruit:* nosi deest, credat mihi, optimus ille, a-  
mullitata præd. consilii observatio; & nostri præsertim, velint, nolint adversarii, hujusmo-

Authoris Epistola Præliminaris

[illegible]

XXII. Epistola P. Joan. Paul. Olivæ Societatis Jesu Præpositi Generalis, ad P. Honorat. Fabri ejusdem Societatis.

REVERENDE IN CHRISTO PATER,

**E**X literis Lugdunensibus accepi , R. am V. omnimobilis res moralibus meditari ,  
 & in publicam edere lucem ; sat opinor , illi perspectum est , quanto in eam a-  
 more huc usque fuerim , & quæ mihi de illa sit opinio ; quare licet necesse non ju-  
 rem , eidem significare , quantum mihi cordi & curæ sit , nequid in hoc genere , à no-  
 bis , eidem , quod aliquam offensionem cuiquam asferre possit ; pro eo tamen , quo de-  
 gregor , officio , nihil omnino prætermisissum esse velim , quo majorem etiam R. V. ad  
 hoc finem , diligentiam adhibeat . Rem igitur gratissimam facturam se mihi sibi per-  
 hincat , si paulo severior in hac parte se gerat , nec quidpiam in Christianis mori-  
 bus statuat , quo vel Ecclesiastica disciplina remittatur , vel humanis cupiditatibus  
 laxentur , vel Christianæ vitæ ratio à sancto illo antiquorum rigore defleat .  
 sanctissimus Patriarcha noster Ignatius , di-vino certè instinctu & consilio , Societatem in-  
 stituit , non solum ut infideles , Hæreticos , Schismaticos ad fidem & religionem Catho-  
 licam converteret , verum etiam ut corruptos Catholicorum mores , quæ docendo at-  
 que dicendo , quæ libris in lucem editis , quæ virtutum omnium exemplis restitueret ; unde  
 & contra Societatis & Sancti Patris Ignatii mentem , & contra diserta Præpositorum  
 Generalium decreta vet , qui Theologiæ moralis placita , benignarum Opinionum obten-  
 tu , plus equo molliret ; extrema igitur oræ , ut periculosa , nobis utrimque fugienda sunt ,  
 nec onus illud hominibus imponamus , quod Deus ipse non imposuit , sequendi sem-  
 per in omnibus probabiliorē partem ; nec quamlibet iis probabilitatem , quantum vis  
 dubium & creperam permittamus , quasi eam tutò ac liberè sequi possint ; nempe ut opi-  
 niones illas certò ac verè probabiles non damnamus , ex quibus certa sequitur & statui-  
 tur conscientia ; ita illas minimè indulgemus , de quibus jure dubitamus , an probabiles  
 sint , ac proinde illæ ad certam conscientiam satis esse non possunt : Ex his R. V. mentem

mean

Auth. Epist. Præli. ad P. NN. de Opin. Probab.

*meam satis assequuta, impensè curabit, ne vel larum unguem ab ea deflectat: Hæc autem sciri ab omnibus velim, ac præsertim à nostris; immo si R. V. ita expedire censuerit, has Literas divulgandi, plenam illi facio potestatem: SS. R. V. sacrific. me commend. Romæ 3. Februarii anno 1669.*

R. V.

Servus in Christo

Jo. Paulus Oliva.

XXIII. Sed prolixiori Epistolæ hic finem impono; si aliud quidpiam, super his denuo proposueris, rescribam illico & pro mea tenuitate facere satis conabor; interim vivat mei memor, præsertim ad aras, & mihi à Deo Opt. Max. suis precibus obrineat selecta illa adjutoria, quibus totum me, per fidem & charitatem, Deo ac divino cultui, ad meam aliorumque salutem, omnino addicami; Vale. Lugduni, Idibus Aug. anno 1669.



HONO